

peculiares causas & rationes, quas ipsamet jura, & innumeri Auctores, tam Theologi, quam Juridici, & Politici, qui de eorum tractant explicatione, considerant, quas Ego (g) latè in aliis locis congressi. Illam magis probans, & illustrans, quòd ad continendos in officio patres, nihil potuit efficacius excogitari, quàm eos filiorum quoque supplicii comminatione terrere, quòd pro ingenito naturæ amore, magis quàm proprium sentire solent.

30 Quam satis expressit Cicero (h), valdè à Cælio Rhodigino (i), & aliis (k) laudatus, dum ait: *Nec vero me fugit, quàm sit acerbum parentum scelera filiorum penis lui: sed hoc præclare legibus comparatum est, ut charitas liberorum, amiciores parentes Reipub. redderet.* Et Tertullianus (l) non minùs eleganter, de Deo loquens, qui patrum delicta à filiis aliquando exigere solet, & sic inquit: *Duritia populi talia remedia compulerat, ut vel posteritatibus suis respicientes, legi divinæ obedirent, quis enim non magis filiorum salutem, quàm suam curat.*

31 Et adhuc plures, & satis graves Auctores (m) reperio, qui hac, & aliis rationibus non obstantibus, prædicta jura, etiam dum solas civiles pœnas infligunt, aperto ore iniquas, & injustas esse, asserere audent, & per noviore Arcadii, & Honorii constitutionem, quam jam adduxi, correctâ. Eoque audaciâ procedit Pater Gabriel Vazquez (n), post Covarrubiam (o), & alios (p), ut de eisdem sermonem habens, veritus non fuerit dicere, Arcadium, & Honorium Imperatores stultè loquitos esse, dum dicunt, dictis filiis: *Se vitam Imperatoria specialiter lenitate concedere.* Cum nullum in hoc lenitatis specimen exhibere poterint, quoniam de ratione & rigore justitiæ, ut probatum reliquimus, id ipsum facere tenebantur, ne quisquam sine culpa (q), etiam si adsit causa, duris, & corporalibus pœnis justè affligi possit.

32 Quod tamen, ultra alias solutiones, quas latè, & eruditè novissimè D. Antonius Feloaga (r) congressit; ita Ego excusari posse censeo, si animadvertamus Principes illos, non de illa temperantia, & lenitate gloriarì, quòd existimarent, se de jure idem facere non teneri, cum Auctores fuerint alterius constitutionis suprâ relatæ, quæ peccata suos debere tenere Auctores adeò graviter, & generaliter declaravit; sed ob id tantùm, quòd de factò, cum possent, & delicti enormitas quodammodo postulare, in liberos proditorum, mortis etiam supplicium non exercuerint, prout multi alii Imperatores minùs benigni & temperati exercuisse leguntur, quos latè Duarenus (s), Contius (t), Scipio Gentilis, & idem Feloaga (u) recensent. Et Petrus Matthæus (x), qui post narratam dictam cædem parricidiallem Henrici IV. & parricidæ horrendum supplicium, addit Parisiensem curiam benè sensisse, flagitiorum quantumvis enormium pœnam, delinquentis personam non egredi, in parentes tamen illius, eo, quo diximus modo deliberasse, & in nominis ejusdem abolitionem, quamvis pro simili crimine pœna usque ad nonam generationem soletur extendi, & apud Suizzos moris hodieque sit, totam proditoris parentelam delere, & exterminare, convenientius judicantes, unam familiam, quàm totam Rempublicam perdere, cujus accolæ, metu hujus supplicii, perpetrandis ejusmodi criminibus absterrentur.

33 Quod & apud Macedones lege sancitum, Curtius (y) ostendit, loquens de Philotæ propinquis, qui hujus legis metu sibi manus adegerant, vel fugam in vastas solitudines, & devios montes cæpserant. Addeque prædictis, non ineptè lenitatis nomen, actioni, quam etiam justitia exostulabat, Imperatores indere potuisse, cum non sit novum æquum pro justo sumere, ut cum Cicerone & Seneca Ego (z) alibi ostendi, & etiam Petrus Rebuffus (a) observat:



EM-

(g) Ego de parricid. lib. 2. cap. 10. pag. 156. & 2. tom. de Ind. gub. lib. 1. cap. 14. ex num. 71. ubi Tiraq. Covarr. Petr. Fab. Petr. Gregor. Simanc. Rodulf. Forner. & alios allego, quibus novissimè M. Marq. D. Anton. Feloagam, & Hier. Altamir. adjicio. L. isti quidem, D. quòd met. caus. §. fin. Instit. de nosal.

(h) Cicero. epist. 12. ad Bruth.
(i) Rhodig. lib. 14. cap. 12.
(k) Tiraq. in l. si unquam, verb. Donatione, num. 333.
(l) Petr. Fab. lib. 3. sem. cap. 8.
(m) Tertul. lib. 2. advers. Mart.

(n) Duarenus in l. 1. D. ad leg. Jul. Maj. Ign. in l. ult. ad Syllan. Corras. in l. qui liberor., n. 62. de ritu nupt. Mercet. lib. 2. opin. cap. 14. Alph. à Castro lib. 9. de just. hæret. pun. cap. 2.


(o) Vazq. in l. 2. quæst. 83. cap. 3. in fin.
(p) Covarr. lib. 1. var. cap. 8. num. 1.
(q) Steph. Menoch. in Polit. lib. 2. cap. 12.
(r) Cap. sine culpa, ubi Joann. Andr. Pech. & alii, de reg. jur. in 6. d. l. crimen, cum similib. glos. celebris in sum. 1. quæst. 4.

(s) Feloaga in disp. de crim. Majest. ex num. 28.
(t) Duaren. in tit. ad leg. Jul. Majest. cap. 3.
(u) Contius in l. 7. eod. tit. Gentil. de conjurat. pag. 91.
(v) Feloaga ubi supr. ex num. 30.
(w) Petr. Matth. ubi supr.
(x) Q. Curt. lib. 6.

(y) Ego d. 2. tom. lib. 1. cap. 14. num. 75. & 76. Cicero. in Pison. Senec. lib. 2. contro. 5.

(z) Rebuff. in l. 40. §. aque, de verb. signif.

CUNCTANDUM IN PŒNIS.



*Vindex Roma suos vinci cum fasce secures,
Consulant ut laxans, conscia facta reis.
Cui Diadema micat, caveat puniverit ira
Ense minax quemquam præcipitata suo.*

COMMENTARIUS.

Præclare, ut solet, Seneca (a) docuit, quòd quemadmodum Propè est, ut iniquè puniat, qui nimis: ita propè, ut libenter damnare videatur, qui citò. Quamobrem superiori Emblemati, quo pœnarum excessum Regibus, & Principibus, reliquisque qui gladii jus habent, fugiendum esse suasimus, hoc, quod sequitur, addendum censuimus, ut eosdem moneamus, pari quoque studio, & temperatione in prævio delictorum examine, uti oportere, omnemque animi motum sedare, & iræ concitationem, & præcipationem frænare, antequam ad sumendum de noxiis supplicium accedant.

2 Est enim Præcipitatio neverca justitiæ, ut latè Sebastianus Vantius (b), & Stephanus Nattbæus (c) ostendunt, & ira, brevis furor, qui impedit, ne animus verum cernere possit, ut pluribus in superioribus comprobavi (d), utriusque vitii plura etiam damna commemorans. Quæ cum semper in magnum Reipublicæ, & Rectorum ejusdem, incommodum & periculum tendant; tunc præsertim in maximum cedent, ubi de judiciis criminalibus, vitæque & statu hominum agitur: de quorum salute nullam cunctationem longam esse Julius Cæsar (e) dicere solitus erat. Etenim,

Kkk

ut

(a) Senec. de Clement. lib. 1. cap. 14. in fin.

(b) Vant. de nullitate, ob præcipitat.

(c) Nattb. in just. vuln. pag. 137. & 944.

(d) Sup. Emblem. 38. & 46.

(e) Jul. Cæs. & post eum Juven. satyr. 6.

Nulla unquam de morte hominis cunctatio longa est.

ut Cassiodorus (f) inquit: *Iniquum sæpè nimis est, quod delectat iratum, & furentes justa non sentiunt; quia dum commoti animo in vindictam se viunt, rerum temperantiam non requirunt.* Scilicetque admodum Moderatus (g) Epigrammarius scripsit:

*Qui temerè, & præceps rabidas extasit in iras,
Excedet semper limina justitiæ,
Judicium præceps, in sani judicis instar,
Omnia ne longis dicendi moris.*

3 Unde Regius Vates (b), vel in Deo postulat, ut ipsum in furore suo non arguat, neque in ira corripiat; & in Proverbiis (i) Salomon inquit: *Ira non habet misericordiam, neque erumpens furor.* Et Cicero (k), cum Quirum Fratrem natura iracundum cognosceret, eundem Ciceriliæ Proconsulem factum, magno verborum, & sententiarum pondere, quantum hoc vitium judicantibus noceat, pluribus admonet.

4 Quibus accedunt alia, quæ suprà (l) alio loco de utraque parte seriò in judiciis audienda, retulimus, & nobile apophthegma Democriti (m), qui optimum esse eum Judicem dicebat, qui citò intelligit, & lenitè judicat. Et alterum esse benevolentia, alterum diligentia exquisita. Atque item ajebat, nihil inconsideratè agendum in judicio, sed prius deliberandum, ne aliquid amplius quam liceat, dicatur neque quid nisi lenitè, ac cunctanter pronuntietur. Ita autem pronuntiatum, accuratè exequendum, nec ad gratiam immutandum, nam inconstans, & levis temerario deterior est.

5 Hanc quoque disciplinam secundum Macrobius (n), à Camerario relatum, superstitiosa Ethnicorum antiquitas in Thyroso Bachi, significare voluit, cujus hastæ mucro, hedera lambente protegebatur, quo indicare volebant, vinculo quodam patientia obligandos impetus furoris. Habet enim hedera obligandi, vincienti que naturam, vini verò calor ad furem homines propellit.

6 Neque valdè abest, aut indignum relatu est, quod Baptista Egnatius (o) de Venetis agens, scribit, nimirum ante eorum Ducem non deferri ense districtum, & evaginatum, ut ante alios Reges in more est; sed vagina aurea penè relictum, ut nec celeritatem ad ulciscenda crimina prematuram significet, nec sui arbitrii esse totam Rempublicam, sed subsequentis Senatorii ordinis summam potestatem.

7 Ego verò idem Monitum in præsentiarum ex fascibus, quas vides, in Romanorum liqorum manibus securibus alligatis, de sumo, quæ ante Consules, & alios majores Magistratus deferri solebant, eo modo, & numero, quo Alexander (p) ab Alexandro recenset, ut hoc symbolo, (ut Plutarchus (q) scribit) testatum facerent, animadversionem Magistratum in puniendis criminibus, minimè properam, aut dissolutam esse oportere, sed salutari mora, consilii que maturitate temperandam. Dum enim à lictoribus vincula fascium resolvuntur, patet receptus ad portum penitentia, licet amplius deliberare, daturque aliquod interstitium ad emendationem sententia durioris.

8 Huic rationi aliam idem Plutarchus subjungit, nempe in ejusmodi fascium ad secures colligatione, ostendere voluisse, leves noxias levioribus remediis, profligata verò facinora, non aliter quam igni & ferro expiari posse; virgisque objurgandos, qui non erant ab omni spe salutis derelicti: secures autem malis insanabilibus admovendas. Et licet Alexander (r) ab Alexandro hanc ultimam solam adducat, probare videatur, prior tamen illa magis à plurimis Auctoribus (s) premitur, & ad rem nostram eandem ipsam inter sua symbola, seu Emblemata Clarissimus ille Heros D. Joannes à Borgia (t), & D. Joannes Horoscus (u) Covarruvias representarunt, hicque illam non inelleganter hoc rithmate explicat & applicat:

*El que tiene poder, tenga templanza,
Dexe pasar la ira, que es un fuego,
No quiera del castigo hacer venganza,
Ni quiera lo que manda se haga luego.
Entereza será, que no mudanza,
Dexarse convencer del justo ruego,*

Que

(f) Cassiod. lib. 4. epist. 10.

(g) Oven. in Monost. epigr. 1. epigr. 29. & 2. epigr. 4.

(h) Psalm. 6.

(i) Proverb. 27.

(k) Cicero. in epist. ad Q. Frat. cujus verba posui sup Embl. 38.

(l) Sup. Emb. 61.

(m) Democ. apud Anton. in Melis. in serm. de inc. jud.

(n) Macrobi. apud Camer. 1. subcet. cap. 93. pag. 436.

(o) Egnat. lib. 2. exemp.

(p) Alex. lib. 1. cap. 27.

(q) Plutarc. in probl. Roman. pag. mibi 628. Petr. Greg.

3. part. syst. lib. 47. cap. 14. n. 7.

(r) Alexand. lib. 3. cap. 5.

(s) Valenz. in monit. pag. 95. & cons. 164. n. 88. Dom.

Baud. in suis orat. pag. 561. Saaved. Empr. 23. pag. 158.

(t) D. Joann. à Borgia Emp. 72.

(u) Horosc. Emb. 32. pag. 64.

*Que à muchos las segures fueron dadas,
Mas no sin causa las traian atadas.*

9 Egoque, licet actum agere recusaverim, eandem, ut huic monito valdè aptam, omittere nolui, nam quod pulchrum est, ut Horatius ait (x), etiam sapius, & à multis repetitum placere debet, maxime si quæ communia videri possunt, noviter adstruantur. Rectè enim scripsit Hippocrates (y): *Scientia votum acobus esse, inveniri aliquid eorum, quæ nondum inventa sunt, similiter & semiperfecta ad finem perducere, & absolvere.*

10 Et revera dubitari non potest, vel tenuem illam moram dissolvendarum fascium, securium rigorem sæpè comprimere potuisse, cum ira furor brevis, ut diximus, definiatur, & non minus breviter, quàm nascitur, deponi soleat, torrentis rapidi instar, qui ita citò præterit, ac intumuit. Quod Athenodorus ille sapiens edocuit (z), dum Cæsari Augusto suasit, ut cum se iratum agnosceret, non prius in verba, vel facta prorumperet, quàm viginti quatuor Alphabeti Græci literas recitasset. Idemque etiam Livium Philosophum Imperatori Theodosio Magno suasisse (qui plures, quibus micuit, virtutes, hoc iræ vitio deturpare solebat) apud Sextum Aurelium, & Paulum Diaconum (a) legimus, & satis expressi Statius (b) Papinius similiter hoc carmine admonens,

*Ne fræna animo permitte calenti
Da spatium tenuemque moram, malè cuncta ministrat
Impetus.*

11 Et Adrianus Junius (c), quondam fingens Emblema, leonis, in caudam piscis desinentis, quo affectus temperandos significari inquit, cum leo iratum hominem referat, & piscis ob naturalem suam frigiditatem, & blanditiem, iræ temperamentum; atque adeo, hac contrariorum mixtione, doceamur, revocandos esse velut injecto fræno, & coercendos affectus, & ubi laxata eisdem habent fuerint, mox velut succissis poplitibus, illorum impetum compescendum, Junii carmen sic habet:

*Fulvam qui in caudam piscis leo desinit atrox
Insigne est gentis, Carole docte, tue.
Temperiem monet hic valido dandam esse furori,
Æstuet, at mox ut concidat ira brevis.*

12 Quod non valdè ab illo alio Claudiani (d) abesse videtur, dum Suliconi pariter consulit ut nunquam iratus ad puniendum accedat, his verbis:

*Ut sentibus ultro
Ignovisse velis, deponas ocys iram
Quam morceas, precibus nunquam implicabilis obstes.
Obvia prosternas, prostrataque more leonum
Despicias.*

Extatque apud Nos lex quædam Alphonsi Regis hujus nominis X. idem suis successoribus injungens, his verbis (e): *Debe el Rei sofrirse en la saña, fasta que sea pasada: è quando lo ficieren seguirseleba gran pro, que podrá escoger la verdad, è facer con derecho lo que ficieren.*

13 Quinimò in his Judiciis Capitalibus, de quibus loquimur, non solum tenuem moram, sed longam cunctationem requiri, ultra illud Julii Cæsaris Apophthegma, quod suprà pupugimus, seriò admonet Ammianus Marcellinus (f), sic inquit: *De vita, & spiritu hominis, qui pars mundi est, & animantiam numerum complet, laturus sententiam, diu multum cunctari oportet, nec precipiti studio, ubi irrevocabile factum est agitari; quem sequens Cassiod. (g) Provincie Comitum instruens, sic habet: Cunctator esse debet, qui judicat de salute. Alia sententia potest corrigi, de vita transactum, non patitur immutari.*

14 Et in idem tendit illud aliud Apophthegma Alcamenis apud Plutarchum, qui sciscitanti cuidam, quamobrem apud Lacedæmonios plures dies sumerent, ad cognoscendum in causis capitalibus? & si quis fuerit absolutus nihilominus obnoxius sit legi? *Idèd* (inquit) *pluribus diebus cognoscunt, quoniam si in capitis discrimine erraverint, non est corrigendi consilii potestas. Oportet autem à causa liberatum obnoxium manere legibus. Quo fit, ut secundum eandem legem liceat aliquid rectius de eo statuere. Hoc temperamento provisum est,*

Kkk 2

(x) Horat. in Arte Poetica.

(y) Hip. in lib. de Arte.

(z) Plut. in Apophth. Fulgos. lib. 7. cap. 2.

(a) Sex. Aurel. & Paul. Diacon. in Theod.

(b) Stat. lib. 8. Thebaid.

(c) Hadr. Jun. in Append. Embl. pag. 149.

(d) Claud. in 2. Paneg. Silicon.

(e) L. 10. tit. 5. part. 2.

(f) Amm. Marcel. lib. 29. pag. apud Lindemb. 421.

(g) Cassiod. lib. 11. form. 1.

est, ne vel occidatur innocens, vel effugiat nocens, qui quamvis errore Judicium sit absolutus, potest eadem legem denud conveniri, pœnasque dare legibus.

16 Et in idem tendens D. Chrysost. sive quisquis ille est, qui homiliam in D. Matthæum scripsit: *Justus est (inquit) injustum justè, (id est, sententia Judicis evadere) quàm justum injustè perire; quia etsi reus semel evaserit, demum potest puniri: innocens autem si semel perierit, jam non potest revocari.* Et incertus Panegyristes ad Constantinum August. ejus hac in parte prudentiam providentiamque commendans: *Vita enim hominum diu parta, semper servanda est, si liceat. Idèd quæ erant reparabilia, conflasti, quod redivivum nec erat, servasti.*

17 Planè enim, sicut in militaribus rebus illud Lamachi (b) Atheniensis, vel Scipionis (i) Romani acroama celebrari solet, *Non licere in bello bis peccare, turpemque esse vocem Ducis dicentis non putaram; quoniam damnum quod in illis committitur, immedicabile judicatur, ita æquè turpis in judicantibus censeri debet, si ubi de vita, sanguine, & spiritu hominis agitur, quem Deus omnium creaturarum rerum Principem fecit, per iram, aut præcipitantiam erraverint, & in re tam ardua, tantique momenti, & in qua bis peccare non licet, debitam considerationem, & compendationem non adhibuerint, & primo, quod ajunt (*), pedatu, ad illam horrendi carminis legem prosilierint, Illisior, deliga ad palum, manus adstringito, caput obnubito, arbori infelici reste suspendito, vel honoris causa caput amputato.*

18 Quò enim gravior esse debuerit animadversio, eò lentius, & cautius ad illam infligendam procedi debet, ut benè Cassiodorus (k) ad monuit, sic inquit: *Homicidii scelus legum jubemus auctoritate resecari, sed quanto vehementior pœna est, tanto ejus rei debet inquisitio plus haberi, ne amore vindictæ innocentes videantur vitæ pericula sustinere. Qui & ipse alibi (l), vel de puniendis latronibus agens, qualiter Præfectus Vigilum se in illis damnandis habere debeat, sic statuit: Sed quamvis nomen odiosissimum furum generalis persequatur assensus, tamen quia de effusione humani sanguinis agitur, nihil subitum, aut indeliberatum jubemus assumi. Molestiam sequere, qui damnas audaciam: continentiam dilige, qui furta condemnas. Ad gesta perducti, audiantur aliquid pro salute dicturi. Quoniam quicquid non discutitur, justitia non putatur. Convicti verò, atque confessi, que sunt decreta serventur, quando crudele nihil efficit, qui sequitur leges.*

19 Hoc etiam documentum insinuare voluisse videtur Julius Cæsar (m), qui de se ipso dicere solitus erat: *Ego sum lentus ad condemnandum, sed multo lentior ad mittendum.* Tiberius Imperator, quo regnante Senatus-Consultum factum est, ne sententiæ capitalis ante diem decimum ad ararium perferrentur, idque vitæ spacium condemnatis indulgebatur. Quamvis, ut Tacitus (n) inquit, magis ad inanem clementiæ famam aucupandam, quàm ullum ob usum. Nam talis ejus natura, & crudelitas erat, ut nec Senatui libertas ad pœnitendum esset, nec ipse interjectu temporis mitigaretur.

20 Nero quoque, prius quàm in tetram immanemque belluam degeneraret, oblatam sibi ad obsignandum chartam, qua duo facinorosi, & latrociniis infames, capitis supplicio addicebantur, invitus eam accepisse traditur, ac diu multumque cunctatus, tandemque libello nomen subscripsit, vocemque illam effatus est, quam miris Seneca (o) laudibus in cœlum extollit, *Vellem nescire literas.* Quæ exempla, ut rectè, eisdem in simili utens, Dominicus Baudius (p) advertit, quo à crudelissimis Tyrannis profecta sunt, cum tamen justè, ac salubriter gesta constitutavè fuerint, eò majorem vim ad suadendos Christianos, & benè moratos Principes habere debent.

21 Quibus pariter imitandum Christianum alterum, & non minùs Pietate, ac Religione, quàm gestarum rerum gloria Magni cognomen adeptum Theodosium, proponere possumus, qui, ut latissimè Sozomenus, Rufinus, Zonaras, & alii Baronio (q), Cujatio (r), Covarruvias (s), & Menocchio (t) citati, recensent, cum in Thessalonicenses iratus, quòd quemdam, à se missum Magistratum, occiderant, graviter sævisset, & plura hominum millia, sontium, & insontium, morte damnasset, postea ira deposita, & libera, ac severa Divi Ambrosii correptione admonitus, Ecclesiæque ingressu prohibitus, cum suum errorem, sive furorem agnosceret, ne vel ipse, vel posterius sui in similem excessum prolaberentur, nobilem illam sanctionem constituit, quæ hodie in Theodosiano, & Justiniano Codice extat, & in Gratiano quoque decreto inserta conspicitur, quæ ita se habet (u): *Si vindicari in aliquos severius, contra nostram consuetudinem, pro cau-*

(g) Plut. in Lacon.

(h) Plut. in Apoph. Reg. & Imp. cap. de lamacho.

(i) Valer. Maxim. lib. 7. cap. 2. ubi de Scipione, & Aeneas

Sylv. lib. 1. epist. 131. Bobad. lib. 4. cap. 2. num. 31.

(*) Genes. 2. Ovid. 1. met. 1. in pecudam, D. de usur.

l. de usufr. l. 6. §. fin. de acquir. rer. dom. §. in

pecudam, Instit. de rer. drois. Brisson. de Formul. lib. 5.

pag. 537.

(k) Cassiod. lib. 5. epist. 39.

(l) Idem lib. 7. epist. 8.

(m) Julii Cæsar. Apophthegma.

(n) Tacit. 3. ann. Suet. in Tiber. c. 75. Dion Cass. lib. 57.

(o) Senec. lib. 2. de Clement. cap. 1.

(p) Domin. Baud. in orat. ad studiosos tumultuantes,

pag. 560.

(q) Baron. tom. 4. Annal.

(r) Cujac. lib. 5. observ. cap. 9. & lib. 20. cap. 32.

(s) Covarr. 2. variar. cap. 8. & in reg. peccatum, 1. part.

in princ. n. 5.

(t) Menoc. de arbitr. cas. 372.

(u) L. 13. C. de poen. in Theodos. & 20. eod. tit. in just.

cap. cum apud Thessalonicam 69. 11. g. 3. ubi tamen solam

viginti dies præscribantur.

cause intuitu jusserimus, nolimus statim eos, aut subire pœnam, aut excipere sententiam: sed per dies triginta super statum eorum sors, & forma suspensa sit. Reos sanè excipiat, vinciatque custodia, & excubii solertibus vigilanter observet.

22 Adedque justum, hoc in sumendis suppliciis temporis interstitium visum est, ut apud Quintilianum (x) seniore eisdem tricendii repetita mentio in aliquibus declamationibus extet, & in quadam (y), reum, ita Judicem exorantem, inducat: *Omne injustum supplicium est, quod non est exactum secundum legem; da igitur jus mihi quo perire debuim. Et Calpurnius (z) Flaccus in alia, sic tradat: Pœna raptoris in diem tricessimum differatur.* Quæ loca, & illud aliud Sidonii Appollinaris (a), quo inquit. *Ex vetere Senatus-Consulto Tiberiano XXX. dierum vitam post sententiam trahit.* Qualiter accipi debeant, ne cum dicta Theodosii constitutione pugnent, ubi hoc se novè constituisse demonstrat, qui in his hæsitaverit, Cujacium (b), Lipsium (c), Petrum Herodium (d), Savaronem (e), & nostrum D. Joannem Antonium de Tapia (f), & Robles legere poterit.

23 Nos ulterius pergentes, hinc ad justam laudem descendimus, quàm Claudianus (g) Malilio Theodoro tribuit, quòd cunctanter, & deposita ira, judicabat, sic inquit:

Quin etiam sontes expulsa corrigis ira,
Et placidus delicta domas. Diis proximus ille est,
Quem ratio non ira movet, qui facta rependens,
Consilio punire potest.

24 Pariterque ex adverso, ad notandam Ptolomæi (h) Ægyptiorum Regis incuriam, qui inter ludendum de sontibus judicabat, & prout jactus ceciderat, per iram duci jubebat in sontes, & lucro delinitus, absolvebat nocentes. Othonis III. Imperatoris (i) imprudentem festinationem, in damnando Comite Mutinensi, ob tentatam Augustæ pudicitiam, quod postea falsum apparuit. Clotharii Regis Galliæ rabiem, qua propria manu Juetotum occidit (k), & tandem serò, consista ejus innocentia, pœnituit, aliorumque similium, crudeliter æquè, ac præcipitanter injusta judicicia executionem, quorum longam nomenclaturam Camerarius (l) & Beyerlinchius (m) scribunt.

25 Et præ omnibus notandus, & damnandus venit Gæjus ille Piso Romanus Consul, cui, (Seneca latius (n) narrante) cum placeret pro constantia rigor, iratus, quemdam militem, tamquam alterius occisorem, capite plecti jussit, qui cum à Centurione ad patibulum duceretur, is, qui occisus ferebatur, fortè compatuit, & quoniam Centurio, rem gratam Pisoni facturum ratus, cum jam de rei innocentia constaret, supplicii executionem suspendens, utrum que magno castrotrorum gaudio, & concursu ante illum reduxit, furens Piso, ut idem Seneca subdit, Tribunal ascendit, excogitansque quemadmodum tria crimina faceret, ubi nullum invenerat, tam duos illos milites, quàm Centurionem, ad mortem sub hac crudeli forma damnavit: *Te duci jubeo, quia damnatus es: Te, quia causa damnationis commilitonis fuisti: Te, quia jussus occidere, Imperatori non paruisti.*

26 Hæc enim, & similia monstra iratus, & præceps judicantium animus producere solet, quos à vera rerum cognitione fallax præsumptio seducit, & vanis sæpè iudiciis, vel falsis delationibus motos, incerta pro certis sequi suadet. Non animadvertentes, quòd secundum eundem Senecam (o), magno quidem, sed certo tamen, & benè informato animo de rebus magnis judicandum est: *Alioqui videbitur illarum vitium, quod nostrum est; sic quædam rectissima, cum in aquam demersa sunt, speciem curvi præfractique visentibus reddunt, animus noster ad vera percipienda calligat, quod etiam Petronius (p) sic dixit:*

Fallunt nos oculi, vagique sensus
Oppressa ratione mentiuntur.
Nam turris prope que quadratas surgit,
Attritis procul angulis rotatur.

27 Cujus loci, Seneca non relato, licet ad alium finem, noster Saavedra (q) meminisse videtur. Et mihi semper elegantissimus visus est, ad suadendos Judices, ne ex solis iudiciis, quantumvis vehementia videantur, ad pœnas, præsertim capitales, exequendas, procedant, nec te-

(x) Quintil. sen. decl. 303. & 313.

(y) Idem declam. 305.

(z) Calpurn. declam. 25.

(a) Sid. lib. 1. epist. 6.

(b) Cujac. ubi suprâ.

(c) Lips. in not. ad Tacit. 3. ann.

(d) Herod. in not. ad d. declam.

(e) Quint. Savar. in d. epist. Sidon. pag. 57. & 58.

(f) Tapia in lib. de los Grandes, in not. fol. 82.

(g) Claudian. in Mal. Theod.

(h) De hoc fact. Ptolom. Elian. lib. 14. de var. hist. c. 43.

(i) De Oth. Sigon. lib. 7. de Reg. Ital. Lips. in monti.

& exempt. lib. 2. cap. 9.

(k) De Juetoto Ego sup. Embl. 38. ex Fulgor. & aliis.

(l) Camerar. 3. subces. ex pag. 128.

(m) Beyerlinch. lit. L. pag. 406. & 415. & lit. N. p. 20.

(n) Senec. lib. 1. de ira cap. 10.

(o) Senec. lib. 10. epist. 72.

(p) Petron. in fragm.

(q) Saaved. Emp. 46. pag. 302.

merè, quæ dumtaxat probabilia sunt, pro necessariis accipiant, & in certa pro certis, dubia pro compertis. Cum sæpè accidisse videamus, ut ex his damnati, postea, detecta veritate, innocentes reperti sint, ut apud Livium Turni Hordonii casus ostendit, proditiōnis damnati, quod magnam armorum vim domi habuisse compertus fuit, quæ tamen Tarquinius Superbus, corruptis servis, & nihil tale cogitante Hordonio, clam in ejus domum immitti fecerat. Et alter apud Paridem de Puteo (r), cujusdam mulieris ob homicidium suspensæ, quod mortuo, eadem paulò ante minatam, probatum fuit, quem tamen eventus ostendit, non ab ipsa, sed ab altero ejusdem inimico occisum fuisse, paulò post hoc illo fatente, cum ex alia causa captus, ad supplicium deduceretur.

28 Prout & in Martiano accidit, qui postea Romanus existit Imperator, alterius homicidii accusato, quod ut Evagrius, & Nicephorus referunt, hominem quem in via ab aliis occisum receperat, Christiana pietate sepultura tradere destinabat; & in D. Athanasio, de Arsenii morte impetito, qui tamen statim vivus apparuit, & ab inimicis Athanasii absconditum fuisse constitit, ut Latius Ruffinus commemorat. Quibus casibus, similes alios, in pari negotio, quod Parisiis contigit anno 1600. Annæum Robertum in Parlamento adduxisse, Petrus Matthæus (s) in suis narrationibus refert, & latè, & eleganter hæc indiciorum materiam, ultra ceteros qui de ea ex professo scripserunt, elucidans, Bernardus Argentræus (t).

29 Qui nec illi indicio, sanguinis coram occisore, ex occisi cadavere profluentis, multum fidendum esse concludit, quamvis de ejus veritate, & oculata experientia Marsilius, Puteus, Nevizanus, Hieronymus Magius, & alii, quos ipse citat, plura tradiderint, & his plenius Petrus Andreas Canonherius (u), Josephus Sesse (x), & Mar. Mersen. (y), quos legere non pigebit.

30 Quæ omnia contra Bartolum faciunt, de quo scribit Paulus Jovius (z), severitatem supra æquum in torquendis, judicandisque noxiis exercuisse, cum rerum capitalium judiciis præesset. Adèd ut reum furti, nec ritè confessum, & insontem, præcipiti sententia supplicio affecerit. Hincque propter invidiam conspectum hominum fugisse, in rus se conferens, & torum literis abdens.

31 Et Petrum Balsacum (a), novissimum Auctorem Gallum, qui, ut Cardinali Rochileu blandiretur, qui totam Galliam Nobilium sanguine madefecit, scribere, ausus fuit, ob tenuem quamlibet suspicionem, imò & somnium proditiōnis, quod mentes Principum vexare contingat, licitum illis esse adversus subditos capitalia supplicia exercere. Quod fortè ex illo Curtii (b) desumpsit, iniquitatis: *In suo quemque periculo magnum animum habere oportet: cum de salute Regis timetur, creduli esse debemus, vana quoque deferentes admittere.*

32 Sed hoc verum esse potest, quoad cautionem, & inquisitionem, & ut salus Principis in tuto ponatur, in qua subditi omnes periclitantur, non autem ut rei inauditii, vel non ritè inquisiti, puniri possint, ut benè ostendit Petr. Matthæus (c), sic in una ex suis narrationibus, inquit: *Non bisogna credere niente di leggere, per che la calunnia è così sottile, che penetra nel mezzo de le piu innocente attioni. Ma dove si concerne la salute dello stato, le cose piu dubbiose non de bono essere ne reiete, nesprezzate. Debboni convertire le opinioni in credenze, le favole in verita, le apparenze in sicurezza, bi sogna credere tutto, è ascoltare quelli stessi che referisco no cose che paiono vane, è che il tempo scopre false, &c.*

33 Etenim quod ejusmodi delicta graviolem animadversionem requirunt, eò pleniorē examinationem, & probationem, ut supra cum Cassiodoro dixi, desiderant, & ut de parricidio agens Cicero (d) dixit: *Quod minus est credibile nisi ostendatur, sed magis est, si convincitur vindicandum.* Unde & illa querela Tertulliani (e), quod soli Christiani inauditii, & indefensi damnarentur à Romanis, quorum adversus alios nocentes ea erat lenitas, atque æquitas, ut ne in confessos quidem homicidas, sacrilegos, vel incestos, vel publicos hostes, contenti essent ad pronuntiandum, nisi & consequenter qualitatem etiam facti, locum modum, tempus, consocios, & socios exigere. Et laus clementiæ Cesaris Augusti a quod Suetonium (f) Tranquillum, eò quod *Manifeste parricidii reum, ne culleo insueretur, (quod non nisi confessi afficiebantur hac pena) ita interrogaverit, certè patrem tuum non occidisti?*

34 Ac re vera etiam si supradicta deficerent, vel ex eo lentè, & cunctanter in noxiis puni-

(r) Paris de Puteo de Syndic. verb. Tortura, cap. 6. num. 3. fol. mibi 318.

(s) Petr. Matth. lib. 3. narrat. 1.

(t) Argent. ad consuet. Bitur. tit. de præsumpt. excoll. 158. ad 164.

(u) Canonh. in Aphor. polit. 1. tom. pag. 429.

(x) Sess. decr. Avig. 111. tom. 1.

(y) Mersen. in Genes. pag. 1440.

(z) Jovius in elogis, cap. de Bartol.

(a) Petr. Balsac. in lib. de Princip.

(b) Curt. lib. 6.

(c) Petr. Matth. in narr. 2. part. narr. 2. pag. in Ital. 106.

(d) Cicero in orat. pro Rosc. Amer.

(e) Tertul. in Apolog. cap. 1. & 2.

(f) Sueton. in Aug. cap. 33. Ego de parric. lib. c. c. 17.

pag. 188.

niendis, Judices omnes, & maximè Reges, ac Principes, procederet deberent, ne cum voluntate ac voluptate punire videantur, ut jam ex Seneca (g) discimus, quam tantum ab eorum mente, munere, ac dignitate abesse oportet, ut vel cum justè in flagitiosos suæ severitatis gladium distingunt, id quasi coacti & invitii, & cum summo dolore facere debeant, ut optimè eosdem monuit, idem Seneca inquit: *Constituit bonos mores civitati Princeps, & vitia ejus felicitus compeccit, si patiens eorum est, non tamquam probet, sed tamquam invitus, & cum magno tormento ad castigandum veniat.*

35 Quem locum respexisse videtur Antonius Faber (h), dum relato eodem Seneca inquit: *Veram justitiam illam esse, quæ debitam crimini pœnam, quantumlibet justam, non sine intimo Judicis dolore erogat.* Christophorus Bessoldus (i) inquit *Ferina rabies est, sanguine, ac vulneribus gaudere, & supplicia non nisi dolenter, & commiserante animo decornere.* Et ante eos Claudianus (k) his versibus:

*Qui fruitur pœna ferus est, legumque videtur
Vindictam præstare sibi, cum viscera felle
Canduerint, ardet stimulis, ferturque nocendi
Prodigus, ignarus causæ.*

Et Ovidius (l):

*Sit piger ad pœnas Princeps ad præmia velox;
Quique doleat quoties cogitur esse ferox.*

36 Et idem tendit notabile apophthegma Biantis à Plutarcho (m) relatum, qui damnaturus hominem ad mortem lachrymatu est, & interroganti, quare fletet, cum penes illum esset absolvere, & condemnare? Respondisse fertur: *Idèd se lugere, quia necessarium erat, naturæ condolere, & legibus suffragari.*

37 Ejusmodi enim lachrymæ, ut benè Fulvius Pacianus (n) animadvertit, non intrant in prohibitionem Callistrati Jur. Consult. (o) aliàs Judices admonentis: *Ne motum animi sui vultu detegant, neque cum calamitosis collachrymentur;* hoc enim eos respicit, qui commiseratione ducti, vera judicia pervertunt. Squalentisque, ac pallidi rei, magis quàm defuncti crudeliter interempti, dolore afficiuntur, quam misericordiam meritò ineptam, & injustam elegantibus verbis Aænæus Robertus (p), omninò legendus, appellat. Non autem eos, qui justitiam servantes, natura condolent, & peccata non peccatores odio habent; cum scriptum sit, quod vera justitia compassionem habet.

38 Sed hæc tament, quæ hucusque diximus, & tot rationibus, & auctoritatibus communivimus, non excludunt, quin aliquibus in casibus ordo sit, ordinem non servare, & prius ad punitionem, quàm ad exactam & plenam processus formationem, sive fulminationem devenire. Cujus doctrinæ exempla nobis in latrone manifesto, factioneque cruenta Ulpianus Juris Consult. reliquit (q), & in aliis justis causis, quæ moram non recipiant: *Tunc enim (inquit) non pœne festinatione, sed præveniendi periculi causa, punire permittitur, deinde scribere.* Est enim sæpè, ut Sallustius (r), & Tacitus (s) ajunt, periculosior quies quam temeritas, talisque conditionis aliqui a crimina, ut nisi celeriter compescantur, sero judicia implores, ut in seditionibus contingere solet, & in aliis pluribus casibus, de quibus aliqua dixi supra (t), ubi de consiliis maturandis, aut festinandis disserui, & integrum tractatum novissimè Marius Burgius scripsit, cui *De modo procedendi ex abrupto*, titulum fecit.

39 Extatque apud Ælianum (u), Agesilai edictum, quo Reipublicæ consulens, sanxit, ut indicta causa, ad mortis supplicium raperentur, qui noctu sub impressionem Thebanorum citionem fecissent. Quod, idem Ælianus valdè probat, sic inquit: *Ego verò illos potissimum laude dignos judico, qui nascentibus malis semper occurrunt, & ea, prius quàm virium aliqua sit accessio facta, delent, & extinguunt.*

40 Quod convenit cum nostrarum legum regulis (x), admonentibus, *Non esse expectandum donec insula ruat, & melius esse in tempore occurrere, quàm post vulneratam causam remedium qua-*

(g) Senec. 1. de Clem. cap. 22.

(h) Anton. Fabr. in Juris-Prud. Pap. tit. 2. princip. 3.

(i) Bessold. de arcan. rer. publ. cap. 1. n. 9.

(k) Claud. in Consul. Mallii.

(l) Ovid. 1. de Pont. eleg. 3.

(m) Plutar. in Apoph. Biantis.

(n) Pacian. de prob. lib. 2. cap. 44. n. 92.

(o) L. observandum. de offic. Præsid.

(p) Ann. Rober. lib. 1. rer. jud. cap. 10.

(q) L. si quis filio 6. S. hi autem, vers. Quid tamen.

(r) Tacit. lib. 1. hist.

(s) Ego sup. Embl. 46.

(t) Ælian. lib. 14. de var. hist. cap. 27.

(u) L. C. quando liceat unicuique. l. 1. C. unde vi, in Theodor. cum aliis apud Me 1. tom. lib. 3. cap. 1. num. 9. & 2. tom. lib. 1. cap. 4. num. 38. Velasc. in axiom. jur. lit. M. num. 54.

querere, aut reparationem negotii semel interfecti postulare. Et cum vulgato illo carmine Ovidii (y).

Principiis obsta sero medicina paratur,
Cum mala per longas convaluere moras.

Illisque Adagiis: Satius est initio mederi, quam fini, Sero venisti, Sero sapiunt Phryges, Sero vidit iustitiam; in quorum scholiis plura alia Erasmus congegit, inter quae illud Theognis,

Pharmaca nascenti sunt adhibenda malo.

Et Persii (z):

Elleborum frustra cum jam cutis agra timebit,
Poscentes videas, venienti occurrere morbo.

41 Quibus addere licet Cassiodorum (a), praclare monentem: Difficultatem querelarum submoveri, dum in ipsis cunabulis scelera commissa resecantur. Nazianzenum (b), aequè prudenter inquentem, Miserum est serum consilium capere, ac tum damni sensu affici, cum nulla ratione acceptum incommodum sarciri potest. Praesertim cum secundum Tacitum (c): Natura infirmitatis humanae tardiora sint remedia, quam mala. Et secundum Nazarium (d): Facilius, & multò proclivior laedendi; quam commodandi semper sit via, vulnerare integrum, quam sauciato mederi, disipare rapta, quam divulsa componere.

42 Et quia in rebus bellicis, haec frequentius, & urgentius contingere solent, merito in militaribus quoque delictis eadem forma procedendi deceleriter, & ex abrupto, (quod nos dicimus, Breve, i sumariamente) recepta est. Adèd ut feriatu etiam diebus à noxiis supplicia pendantur, ut post Ulpianum Juris Consult. (e), Julius Ferretus (f), Claudius Coteræus (g), Baltasar de Ayala (h), Petrus Faber (i), & alii (k), qui de re militari agunt, plenius animadvertunt. Quibus antiquior Valerius Maximus (l), post narratam Pauli Æmilii sævitiam, qui Perse Rege superato, exterarum gentium transfugas elephantis proterendos substravit, utilissimum hoc exemplum appellat, hanc statim rationem subjungens, Aspero enim & absciso castigationis genere, militaris disciplina indiget: quia vires armis constant, quæ ubi à recto tenore desciverunt, oppressura sunt, nisi opprimantur.

43 Planè tam in his, quam in aliis gravioribus delictis, illud inter omnes receptum est, damnatis jam reis, aut manifesta probatione convictis, ultionem differendam non esse, ut Imperator Constantius statuit (m), ea ratione reddita: Quod facultas supplicandi, vel quibusdam malignis artibus pœnas evitandi, etiam criminosisissimis patet; quod & apud Nos Alphonsina lex (n) sanxit, statuens: E si el juicio fuese dado sobre algun pleito de escarmiento de justicia, de muerte, ò de perdimiento de miembro, debese luego cumplir, &c.

44 Valetque in hoc, ut & in reliquis aliis vulgatam illud semper tamen menti tenendum, & observandum Sallustii (o) monitum Prius quam incipias consulito, & ubi consulueris maturè, factò opust est: ita utrumque per se indigens, alterum alterius auxilio viget; & nobile appophthegma D. Imperatoris, ac Regis nostri Caroli V. à Saavedra (p) relatum: Que la Tardanza era Alma del Consejo, i la Celeridad de la Execucion, i juntas ambas la quinta esencia de un Principe prudente. Maximè, cum vel ipsi rei cum jam se capitis damnatos intelligunt, & absque ulla spe veniæ, ultimam supra caput suum horam stare, illam properari desiderent, ut elegantissimis verbis scripsit Pacatus (q), post alia, sic inquit: Hinc reorum usque ad damnationem metus, postea à attonitus stupor, & ex desperatione securitas, & ad locum supplicii voluntaria, carnifice non trabente, properatio.

EM-

(y) Ovid. de remed. amor. lib. 2.
(z) Persius. satyr. 3.
(a) Cassiod. lib. 5. epist. 15.
(b) Nazianz. in orat. ad Sanct. Lun.
(c) Tacit. in Agric.
(d) Nazar. in Paneg. ad Car. Constant.
(e) L. divus D. de ferrii.
(f) Ferret. in tract. de re milit. tit. de just. & pan. num. 78.
(g) Coter. lib. 3. cap. 6. & 8.

(h) Ayala lib. 3. cap. 8.
(i) Fab. 1. semest. cap. 18.
(k) Caball. resol. crim. cap. 294. n. 262.
(l) Valer. Maxim. lib. 2. tit. 7. §. 14.
(m) L. cum reis 18. C. de pan. Jas. in l. debitoribus, ex num. 15. D. de re jud. Abb. in cap. 1. col. 12. de mut. petit.
(n) L. 5. tit. 27. p. 3. ubi Gregor. Lop. verb. Luego.
(o) Sallust. in Catill.
(p) Saaved. Empr. 64. pag. 488.
(q) Pacat. in Paneg. ad Theodos.

PLUS TERRENDUM, QUAM TORRENDUM.



Prob Tronitum; gemit orbis iners; metus implicat omnes,
Juppiter at terret, non nimis ipse nocet.
Ignivomo, Princeps, sceleratos fulmine terre;
Ingens sit tronitus; sit tamen ira levis.

COMMENTARIUS.

1 De quoque Emblema, quod nunc superioribus addimus, ex fulminantis, ut vides, Jovis imagine sumptum, satis ostendit, quam coactè, vel Deus ipse ad homines puniendos accedat; cum igne ad hoc ministerium utatur, cujus natura est (ut Seneca (a) benè considerat) in verticem surgere, & si nihil illud prohibeat, ascendere; atque adèd non nisi invitus, & impellentis necessitate succusus, in contrarium agitur, & ubi est aliquid, quod eum ferat deorsum, & ab impetu suo avertat, id non natura, sed servitus ejus sit.

2 Ejusdem etiam coactionis, specimen aliud nobis exhibuit Salvianus (b), dum tractat, qualiter Deus ad puniendam Sodomam, & Gomorrhæ peccata non prius descenderit, quam grandis, & multiplicatus peccantium clamor ad eum in celum ascenderet, divinasque ejus cæderet aures, sic addens: Et verò clamor, & grandis clamor est, quando pietas Dei peccatorum clamoribus vincitur, ut peccantes punire cogatur. Ostendit ergo Dominus, quàm invitus puniat etiam gravissimos peccatores, dicens, quòd clamor Sodomorum ad se ascenderit; hoc est, misericordia mea mibi suadet, ut parcam: sed tamen peccatorum clamor cogit, ut puniam.

3 Sed ultra hoc documentum, aliud, præstantius adhuc, ex eadem figura, & fulminis natura sumerè possumus, nimirum, vel tunc cum ad illud contorquendum, ac jaculandum Magni Tonantis Jovis exarserit ira, ea se habere in tanta severitate clementia, ut non nisi uno, vel altero, & sapissimè nullo mortali percusso, universus orbis expaveat, & in suo quisque capite timeat, quod in alieno dira illa jaculatio fuerit operata. Quod nihil aliud est, quam docere, inferiores Principes, ad hanc superioris imitationem, in sordibus puniendis se habere debere, & paucorum supplicio, atque exitio, ita reliquos terrefacere, ut alienum spectando, suum discant, & à perpetrands scele-ribus, quæ ita acriter plecti viderint, absterreantur.

4 Quem dicendi docendique modum ex referatissima ejusdem Senecæ (c) pœnu, ut & alia plura deprompsimus, ita monentis: Ut fulmina paucorum pericula calant, omnium metu; sic animadvertiones Magnarum Potestatum, terrent latius, quam nocent: non sine causa, non enim quantum fecerit, sed quantum facturus sit cogitatur, qui omnia potest. Qui & ipse alibi (d), hac de causa, hoc Fulminis supplicium Monitorium aptissimè vocat. Quasi eo doceamur, quid cavendum sit, ipsiusque casus metum donet. Nemo enim unquam Fulmen timuit, nisi qui effugit.

5 Quò & respiciens Statius Papius (e) sic habet: Attonitum, & venturi fulminis iElum

(a) Senec. nat. quart. lib. 2. cap. 24.
(b) Salvian. lib. 1. de provid. Dei.
(c) Senec. lib. 1. de Clement. cap. 8.
(d) Idem lib. 2. nat. cap. 49. & cap. ultim.
Hor-

Horrentem tonitru tantum lenique procella
Contentus mouisse senem.

Et apertius Claudianus (f), magis ad rem nostram, ipammet Senecæ doctrinam hoc carmine donans, dum Stiliconis prudentiam, & clementiam in plectendis noxiis extollere voluit:

Hac ipse Magistri,
Das veniam viclis. Hac exhorrente calores
Horriscos, & que nunquam nocura timentur
Furgia, contentus solo terrore perces;
Ætherei Patris exemplo, qui cuncta sonoro
Concutiens tonitru, Cyclopium spicula differt
In scopulos, & monstra maris, nostrique cruoris.
Parcus, in Octeis exercet fulmina sylvis.

Neque procul abest Plinius Junior (g), qui semel, & iterum refert, qualiter sub Domitiani Tyrannide, proscriptis suis amicis illorum stragibus, totque circa ipsum factis fulminibus ambustis, extimuerit, sibique impendere idem exitum, certis quibusdam notis auguraretur.

6 Omnes sanè rectissimè, cum certum & notum sit, inter alias causas, quæ à criminosis vindictam sumi suadent, quas jam supra (b) ex Agellio, & aliis tetigimus, illam cum primis à legislatoribus expeti, ut pœna ad paucos terror autem ad plures perveniat, & qui pessimo suo exemplo ceteris nocuerunt, exemplari quoque punitione pereuntes, aliis melioris frugis sectandæ disciplinam præbeant, ne cogantur cum illi perire, ut post eundem Senecam (i), Joannes Pontifex (k) tradit, & latè, & eruditè Cælius Rbdiginus (l), ostendens, apud Terentium, & alios, hac de causa, severiores ejusmodi Animadversiones Exempla vocari; quæ eadem Græci Paradigmata dicunt.

7 Ac proinde Callistratus Jurisconsult. (m) pluribus placuisse docet: Famosos latrones, in iis locis ubi grassati sunt, furca figendos ut illorum conspectu alii ab iisdem facinoribus deterreantur. Quod fortè desumpsit ex Quintiliano (n), in quadam ex suis declamationibus, sic perorante: Quoties crucifigimus nocios, celeberrimæ eliguntur vitæ, ubi plurimi commoveri hoc metu possint. Omnis enim pœna, non tam ad delictum pertinet, quàm ad exemplum. Vel ex Platone (o), ita optimos cujusque Reip. Gubernatores admonente: Quos insubiles legislator esse senserit, ultimo supplicio hos afficiet: nam hoc exemplo à peccato ceteri deterrentur, & improbis hominibus civitas ipsa mundatur; vel melius ex Quinto Curtio (p), qui Bessum e Bactris Ecbatana ab Alexandro Magno duci jussum memorat, ob interfectum Darium pœnas capere persoluturum, ut eo in loco, quo Darius ipse occiderat, necaretur. Cui historiarum, ab Antiocho Iphane Antiochæ trucidari jussus est, eodem loco, ubi Omnia sanctissimum Hebræorum Pontifici interfecerat.

8 Et idem non minùs rectè, & ætè docuit Rex noster Alphonsus in quadam ex suis legibus sanciens (r), Capitales de sententiis pœnas, statim post sententiam esse exequendas, & quidem, De dia, concejamente ante los ome, è nonde noche à furto. Hanc rei nostræ aptissimam rationem subtexens: Ca la justicia non tan solamente det ser cumplida en los ome, por los yerros que facen; mas aun porque los que la vieren, tomen ende mdo, è escarmiento para guardarse de facer cosa, porque merezcan recibir otro tal. Quod & in alia (s) his verbis repetit: Paladinamente debe ser fecha la justicia de aquellos, que ovieren fecho por queleban morir, porque los otros que lo vieren, è le oyeren, reciban ende miedo, è escarmiento, diciendo à Alcalde, ò el Pregonero ante las gentes, los yerros por que los matan.

9 Est enim valdè damnosum & ipsis Principibus indecorum, meticolosè & clanculariè ad summenda supplicia, nisi rarè, & ex magna causa, procedere, ut benè nuperus noster Saavedra (t) considerat, quamvis harum legum mentionem non fecerit. Nec alterius Arriani Juris Cons. (u) qua docuit, eum qui in acie prior fugam fecit, spectantibus militibus, propter exemplum, capite puniendum esse; quo loci, illa verba: Spectantibus militibus, non ad fugam, sed ad penam referri debent, & eo modo, quo Nost, post doctissimum Petrum Fabrum, facimus, interpungi.

10 Et in hoc nostri Emblematis monitum, & exemplum, respicientes Romani, ubi à pluribus, in rebus militaribus, vel in aliis, peccatum fuisset, illud pervetustum supplicium introduxerunt, quod Decimationem appellarunt, & in id, inquam hoc Jovis fulmen, tendebat, ut metus, & horror omnibus injiceretur, pœna verò ad paucos eveniret. De qua cum latè, ultra Diodorum, Plutarchum, Polybium, Suetonium, & Antiquiores hos, Tiraquellus (x), Lipsius (y), Petrus Faber (z), & alii ex nostri juris Doctoribus (a) commenti terint, contentus ero Ciceronem (b) adducere, qui ipsam, & quædam

(e) Stat. lib. 3. sylvar. sylv. 3. de lar. Hetrusc.

(f) Claud. lib. 2. de laud. Stilic.

(g) Plin. in Paneg.

(h) Sup. Embl. 70.

(i) Senec. lib. 1. de Clement. cap. 2.

(k) Joann. Pont. in Extrav. de pan.

(l) Rhodig. lib. 6. cap. 14. Ego lè de paric. lib. 1.

cap. 1. & 2.

(m) L. Capitalium, §. famosos, l. au facta, §. fin. D. de

pan. Auth. ut nul. jud. collat. 9.

(n) Quintil. declam. 274.

(o) Plat. lib. 9. de legib.

(p) Curt. lib. 7. cap. 13. ubi vide a derum pag. 437.

(g) Machab. 2. 13.

(r) L. 5. tit. 27. part. 3.

(s) L. fin. tit. 31. part. 7.

(t) Saavedr. Empr. 22. pag. 152.

(u) L. omne delictum, §. qui in acie, D. de re milit. junct.

expos. Pet. Fab. 1. semest. cap. 18. pag. 113.

(x) Tiraq. de pen. caus. 47.

(y) Lips. de mil. Rom. dial. 18. lib. 5.

(z) Fab. 1. Semest. cap. 18.

(a) Petr. Greg. 19. synt. cap. 10. tom. 12. Herod. lib. 10.

tit. 7. Coteræus de re milit. lib. 3. cap. 8. & alii passim.

(b) Cicet. in orat. pro Cluent.

causam, & rationem graphicè his verbis descripsit: Statuerunt Majores nostri, ut si à multis esset flagitium rei militaris admissum, forte in quosdam animadverteretur, ut metus videlicet ad omnes, pœna ad paucos perveniret. Nam miles, qui locum non tenuit, qui hostium impetum, vimque pertinuit, potest quidem postea & miles esse melior, & vir bonus, & civis utilis. Quare ne in bellum propter hostium metum delinqueret, amplior ei mortis supplicii metus est à Majoribus constitutus: ne autem nimium multi pœnam capitis subirent, idcirco illa sortibus comparata est, &c.

11 Extat quoque hujus supplicii, & metus, quem ceteris incutiebat, nobilis memoria apud Tacitum (c), inquietem: Apronius, suis acie fugatis à Tacfarinate, magis dedecore suorum, quàm gloria hostis anxius, rarè ea tempestate, & è veteri memoria facinore, decimum quemque ignominiosè cohortis, sorte ductos, fuste necat. Tantumque ea veritate profectum, ut vexillum veteranorum, non amplius quingenti numero, easdem Tacfarinatis copias vicerint. Appianus etiam Alexandrinus (d), loquens de Cæsare, qui eadem animadversione, ob similem culpam, sive ignaviam, usus fuit: Legionibus (inquit) decimatis, quòd male pugnasset, effecit, ut magis ipse, quàm hostis timeretur.

12 Et teste Capitolino (e), alii postea Imperatores, ut se clementiores ostenderent, loco decimationis, vicesimabant, aut centesimabant; & ut ait Sidonius Apollinaris (f) nihil hujusmodi sortitio, cum universi delinquerent, injuriæ habere videbatur, cum potius iniquitas, quæ in plurium morte considerari posset, sortis æquitate dispergeretur. Qua, quia L. Sulla uti noluit, sed quatuor legiones contrariæ partis fidem suam sequutas, in campo Martio, ne quicquam fallacis dextræ misericordiam implorantes, obruncari jussit, quarum lamentabiles quiritatus trepidæ civitatis aures receperunt; lacera-tæ ferro corpora Tiberis impatiens tanti oneris cruentatis aquis evchere coactus est, meritò à Valerio Maximo (g), Livio (h), & Plutarcho (i), eximia crudelitatis reputatus fuit.

13 Est enim tam tritum, quàm certum, mitis agendum esse cum multitudo deliquit, aliquidque severitati detrahendum, cum non hujus aut illius periculum, sed multorum jacet strages, magisque tunc monendo, quàm minando agi debere, aut pluribus Sanctorum Patrum auctoritatibus Gratianus (k) in suo Decreto passim ostendit, quas in unum Tiraquellus (l), & Farinacius (m) congesserunt, vulgarem illum versum citantes, Per Populum multum, crimen pertransit inultum. Quem juvat Noster Seneca (n) inquiens: In singulos severitas Imperatoris dstringitur: At necessaria venia est, ubi totus deseruit exercitus. Nam licet non tollat culpam, neque iram sapientis, turba peccantium: intelligit quàm iniquum sit, & periculosum irasci publico vitio.

14 Plutarchus (n) etiam memorat, quòd cum Scipione Africano ægrotante, orta esset inter milites magna seditio, rem ipsam Scipio ad consilium retulit, cujus maxima pars, in eos, à quibus initium tumultus ortum erat, animadvertendum censuit. Sic enim fieri posse, ut pœna ad paucos, exemplum ad multos perveniret.

15 Quod consilium, Platonis (o) legi hæsisse videtur, qua sanxit, si plures ex civitate proprio consilio, sine auctoritate communi pacem iniverint, aut bellum moverint, hujus rei auctores tantum morte puniendos, nulla aliorum mentione facta, quasi hi tandem id impune latari essent. Quam, exemplo etiam suo, ut latè Tiraquellus (p) recollit, Athenienses apud Thucydidem, Alexander Magnus apud Arrianum, & Curtium, Scipio apud Livium, Titus apud Josephum, & Ægesippum, comprobant, multitudini parentes, in seditionumque Auctores tantum processisse contenti, & illum Aphorismum ingeminantes, Unius hominis animadversionem usque ad factum promovendam, multitudinis verò usque ad veniam, & verbo tenuis, ac per correptionem.

16 Idque sæpius ubique praxi receptum videmus, & in Hispania nostra in illis invaluit, qui D. Caroli V. temporibus seditiones excitarunt, vulgò dictas Las comunidades, quarum historiam, ultra alios, lato sermone Sandovalius scripsit (q), & in aliis, De Fuente Ovejuna, qui cum coacta popularium manu, suum occidissent Commendatarium, anno 1476. mille licet tormentis de necis auctore quæsiti, nullam aliam vocem emisserunt, quam Fuente Ovejuna lo hizo, unde & impuniti relicti sunt, & hoc verbum apud nos in Adagium pertransiit, ut apud D. Sebast. Covarrub. (r) videre licebit.

17 Planè si multitudo in suo scelere perseveret, aut quod commisit delictum fœdissimum, & gravissimum sit, tunc totam quoque puniri posse, & deleri solere, ex generali cataclysmi, & Sodomorum à Deo facta castigatione, & illa Moysis, propter peccatum idololatriæ viginti duo millia hominum occidentis, satis apparet, & latius prosequitur Tiraquellus. Et semper in hoc, ut in aliis, illud Ovidii locum habebit (s):

Judicis officium est, ut res ita tempora rerum

Querere, quæsito tempore tutus erit.

Lill 2

EM-

(c) Tacit. 3. Annal.

(d) Appian. lib. 1. de bell. civil. in fin.

(e) Capitol. in Macrino.

(f) Sidon. Apollin. in epist.

(g) Valer. lib. 9. cap. 2. §. 1.

(h) Liv. lib. 88.

(i) Plutarco. in vita Sulla.

(k) Gratian. in cap. constitueretur 50. dist. cap. ordina-

tioner. cum multis seqq. 23. quest. 4.

(l) Tiraq. de pan. temp. caus. 47. & Farin. caus.

(m) Senec. lib. 2. de ira, cap. 10.

(n) Plutarco. in Scipion. Afric.

(o) Plato lib. ult. de legib.

(p) Tiraq. d. caus. 47.

(q) Sandoval. en su Carolea, lib. 5. §. 1. fol. 191. & lib. 8.

§. 9. fol. 400.

(r) Sebast. Covarr. in Thesaur. ling. Hisp. verb. Fuente

12, fol. 400.

(s) Ovid. Trist. 1.